

26. K

40

RECTOR
ACADEMIÆ FRANCOFUR-
TANÆ
FRANCISCUS

OMICHIUS,
Medicæ Doctor, & Professor Publicus

Facultatis, itidemq; SENIOR
Solemnem panegyrin.,

qua

Clariss. & Excellentissimus Vir

DN. GOTHOFREDVS
VVEIDNERUS

Medicinæ Doctor ac Professor Publicus

officio DECANATUS flagitante

Viros ingenio, doctrina virtute & experientia

Prestantissimos,

DN. FRIDERICUM CRUSIUM

Goldbergensem.

DN. FRANCISCUM WIRTH } Silesios

Vratislavensem.

DN. FRANCISCUM HEGENVALLD

Cygnea Misnicum.

Doctorali in utraq; Medicinal aurea ornatus est

III. Non. Octobr.

Anno Æræ Christianæ


M. DC. XXII.

Omnibus & singulis reipublicæ literariæ
Civibus indicit.

LITERIS HARTMANNIANIS:



24



I quanto atrocius malum atq;
detestabilius, tanto majori in pretio Cauco-
res illi us sunt ac Averrunci; nescimus sanè an
superiores dari debeant, Sanitatis Curatoribus,
vite Custodibus, humanae naturae Advocatis,
(sic Medicos suo merito honramus,) siqui-
dem exitiis, quibus ab illis aut obsistitur aut resistitur, nihil nec
seminio fæcundius, nec multitudine copiosius, nec varietate de-
signari maculosius, si vel studio queratur, vel ingenio fingatur,
potest. Id qui difficitur, ubi ubi sit regionum ignorat. Proin-
de magnum illud mundi in quo laborat valetudinarium, re-
motis paululum sibi ipsi ostendendum est, intra quod si con-
spexerit lethæum in pluribus pallorem, nervorum in aliis subsultan-
tium tremorem, pedum rursum prorsum ruentium in nonnullis titu-
bationem, humorem iterum in cutem admissum in aliis, & ventrem in
exercitu preferendum, mox suffusionem luride bilia, jam tabem in
se puerulentum viscerum, modo retortos digitos articulis obrige-
scentibus, nunc nervorum sine sensu jacentium corporem, viciissim
palpitationem corporum sine intermissione vibrantium, capitis ver-
siginem, oculorum auriumq; tormenta, cerebri astuantis vermina-
tiones, aliaque portenta morborum partibus nostris eheu! plu-
ra, nisi ab omni rationis iudicio desertus est & peponem pro cor-
de nactus, exclamabit convictus: O mihi verum hæc qui mon-
stra domuerit Herculem. ἀλεξιναο! O mihi illum ab his qui im-
munes præstiterit miseriis Apollinem δημοσιαο! Quin imò ea
nobis est opinatio, nec ut arbitramur temeraria, non aliam ob-
causam medicandi artem, cùm Dls, utpote Mercurio, Apollini
acceptò latam, tūm Aesculapium, medicinarū, ut Tertullianus vo-
cat, Demonstratorem, Pœona pœoniæ herbæ, Chirona centaurii
designatorem & alios ejusdem artis conditores in cælum trans-
latos & inter sidera positos, quam quod mortales oculis quibus
factum à Factore discriminetur, orbati, non mortalium esse, tan-
tam frenare & tam miserandam morborum Lernam, sed DEI
immortalis; non id qui facerent aut docerent homines, sed

Deos existimaverint, quorum illud ut religiosè, ita istud perpe-
ram asseruerunt, aut sensum non malum male exposuerunt. Hoc
in dubietatis aleam non cadit, medendi scientiam apud omnes, de
bonis & magnis non male & abjecte putantes, divinam semper
habitam, cuius se cultui non Reges modo, qualis inter *Ebraeos Sa-*
lomo, Medos Giges, Arabes Sabid, Ponticos Mithridates, Egyptios
Hermes addixerunt: verum cuius nec ipsos cœli Proceres, quod
de Raphaele constat, puduit: & quod longè majus est, cuius se no-
*mine *Divina nostræ infirmitati Benignitas* adeò commendat, ut*
ubi blandiri nobis & invata venire amat, Medicis persona & no-
mine ad nos visat, quasi nullum ex tanto vocabulorum populo,
eum Patris animum, eam Patris manum, hanc Patris curam & o-
pem Cœlestis, exscribat norantiū, quod quam magnificum sit,
tum fassi erimus ingenué omnes, ubi ut ante dictum, cruciatu-
rum non enarranda colluvies memorie refriceruit cuticulam.

Proinde quoties entheam Medicorum familiam incre-
menta sumere videmus, de nova divinæ in nos clementiæ signifi-
catione, deque novis adversus incursores nostros hyperaspistis ac
defensoribus gaudendum est, neque minori cum triplu*o* illi,
atque ancile cœlo dælapsu*m* à Romanis olim, excipiendi nobis
atque fovendi, cum quādū hi nobiscum fuerint, (divinis sem-
per anè exoratis auspiciis) corporis nostri respublica non salva-
& tuta stare non possit, & si non à morbis omnimodis libera, à
vastis tamen morborum doloribus citius liberanda, absque fa-
luti certè spe non facile laboratura.

Tergeminis hodie prodeunt, id quod fausto pēde faxint,
tales Medicorum Filii, duos fertilissima bonorum ingeniorum
genitrix *Silesia*, tertium *Misnia* cultissima nobis tulit, quos dum
vobis ex more hacenus recepto descriptum imus, veremur ne
quod elogii unitribus vel alteri, alteri derogare videamur,
ita indole, virtute, eruditione, humanitate quæ singulorum ipsa
oculis elucet, sibi similes ac propè pares sunt. Et *Fridericum*,
quidem *Crusium* quem primum in albo Academicō scriptum vi-
demus, aurea *Goldberga* ex *Jacobo Crusio* Cive optimo ac hone-
stissimo, matre simul *Esbera*, quam antiqua & à liberalibus insti-
tutis.

tutis celebrata *Vechnerianorum* profapia connumerat, suscepit,
qui Parentes, teneros nati annos Viris clarissimis Dn. *Johanni Feigio*, *Curiæ & Scholæ in Patria Consuli*, *M. Melchiori Laubano*,
M. Danieli Vechnero, hujus nostri Candidati avunculo, post Wratislaviensis gymnasii Doctoribus, singendos dederunt, ubi cum
Dn. *M. Martinum VVeinrichium* Virum in omni arte insignem
audiret, jam tum sibi fibras micare intimas Iatricæ desiderio,
prout nos naturam molles statim aliquo trahit, persensit, profectus
itaque hinc in latiores campos, naturalis scientiæ cognitione,
penitus animum *VVitebergæ* intinxit, quo medicinæ succo, qui
sine ea non baret, imbui in celeberrimi potissimum *Sennerti* officina
instructissima posset. Post ubi ex domestica Nobilium
adolescentum informatione crumena esset facta prægnantior,
non is parta in aleam, non in ingluviem, non in luxum vestimentorum,
non in fascias crurales pedulesque, quod lustri currentis delitum an delirium est, sed in magistros vivos mutosque
impedit, & in Lycéo hoc nostro, annum non unum, Antecessores
auscultando Medicos transegit, idque ita ut præceptoribus
suis non placeret modò cum paucis, sed ex pluribus dignus ha-
beretur, quem adib[us], quem lateri, quem pyxidibus, quem vitreis
miraculorum naturalium receptaculis, quibus abundat Dn. *D. Gorbofredus VVeidnerus* Collega noster conjunctior, Vir cui u-
traque medicina debet, adjungeret, à quo maturior ad factitan-
dam iam artem cum bona pace discedens Dn. *Johanni Rbefeldio*
amplissimæ in Germania urbis Ephordiæ Medico ordinario
fese addixit, cuius ductu cum ad ægrotantium quotidie migraret
lectulos, venam tangeret, effusa scrutaretur, factum est ut quam-
ille iret rediretve viam, hic in medicando notaret, arctiusque
comprehenderet, qua & in patria dulcissima ab anno superiori
feliciter usus est.

Secundus ab eo est, sed nostra commemoratione duntaxat,
Franciscus Wirth Wratislaviensis, cui ut Pater de suo vocamen
imposuit, sic in vita genus diversum à suo transscribi voluit, &
ipse arte bibliopegus, hunc bibliophagum, seu ut *Cicero*, strenu-
um literarum heluonem & apud Musas diversorem assiduum.

A 3 desti-

destinavit, matre Salome Freudenbergina ob id facilius annuen-
te, quod Doctoris Andrea Osiandri Theologi quondam in Borus-
sia aulici, fama & doctrina omnibus noti, neptis ex filia esset. Da-
tus in disciplinam est à pueritia Viro & aliis, & facilitate & feli-
citate erudiendi, nobili Dn. M. Iohanni ab Hæcketshoven, cui plus
eribuit ob generositatem mentis, quam cognationem sanguinis,
etsi hac quoque lætatur. Hinc ex circa umbratili in spatum A-
cademicum linguarum sublimiorumque artium splendore co-
ruscum anno supra milles. sexcentess. decimo pergit, &
non tam in censum nostrorum quam in Collegia & acroa-
teria admittitur, majori tamen tum voto quam successu. Etenim
imbecillitas carnis, quæ ut ut mentis vigorem, verbo Salviani, non
nunquam exacuat, non raro tamen & aggravat, prout institutum
quoque nostri tum discipuli cursum interrupit, eumque à nobis
ad patrios retrò Lares allegavit & aliquandiu affixit. Sed non
potuit afflictio propositum intervertere, verum ut Stratonem,
splenis affectus palæstritam & pancratiasten, Democratem pedum
ægrimoniam in stadio victorem, sic eum morbus reddidit medicū,
ut ex intervallo vires resumens acriori ad literas animo rediret &
liberaliora Hygeæ libaret soteria. Ea de causa anno supra milles.
sexcentess. duodecimo in Regiomontanam Borussorum descendit
Academiam, & Dn. Iohannis Papij atque Georgij Lethi Doctorum
ac Professorum clarissimorum medicæ se institutioni informan-
dum præbuit: consummandum autem Dn. D. Christophoro Schæ-
belio Jauraviensi Medico excellentissimo se dedit, ubi naturam
intra suum cubile convenit, & Chymia abdita rimatus est. Et
consultò sanè sapientum consilio: eam enim artem, qui aut præ-
judicio antiquitatis aut novitatis, nigredinisque lancingant mor-
daciter oppobrio, Ægyptiorum legem Medicis inurere velle vide-
tur, qua si modō prescriptam & à priscis traditam medendi normam
adhibuisse medicus, sine crimine moriebatur agrotus: & alia via atq;
artificio etiam restitutus necem vita sua intentabat Medico certissi-
mam, cuius insaniæ Diodorus testis est. Integro sic inter specula-
tiones & exercitia practica quinquennio consumto, Machaonis
exemplū secutus & Hippocratis, quorum iste seipsum bello Tro-
jano, hic filium Thessalum sumtu proprio castris Atheniensium ad-

junxit, auctam & lituum Reverendiss. ac Illustriss. Principis ac Dn. Dn. Io-
an-Georgii Senioris, Marchionis Brandenburgici, &c. Herois meliori fato
reservati, comitatus est, ubi quanto major hominum copia, tanto
plus experimentorum cepit, quanto medicinæ usus in bello salubrior,
tanto majorem reipublicæ operam navavit, cuius diligentiae testimo-
nia collegæ tum ejus & comites Viri peritissimi Dn. Dd. Ioannes Wie-
lius Medicus Leobsbutiensis, & David Saurmannus Medicus Taborensis,
non rogati perhibent; donec tandem spoliis non auri, sed experien-
tiæ plenus, longeque fortunatior, atque Machaon ille, qui in equo du-
rareo confossus est, ex Ungaria ad nos reverteretur.

Tertio huic succenturiatur loco *Franciscus Hegenwald Cygnus*, quæ
inclusæ, Jenensis, Altorfina, Heidelbergensis, Lipsiensis, Witebergensis, A-
cademiar, excultum literis, præeunte anno ad nos transmiserunt. Pa-
rentem is habuit *Franciscum p. m. commercia* sic exercentem & pe-
cunias colligentem, non ut Pluto serviret, sed dominaretur, non ma-
nus sordidè nutrit, sed honestè erogaret, non in æruscatorum aut to-
cullionum mensas, sed Musas milleno lucro respondentes, per quas et-
jam filium ditescere præoptavit. Reperit statim domi præceptores
unde disceret sedulos, & utrāque manū pedemq; ab impedimento li-
berū cū haberet, doctores sibi in celebrioribus scholis egregios qua-
rere, sub quibus ad fastigia eruditionis cōtēdere facile potuit. Ex qui-
bus *M. Jacobus Lentnerus* Epitydes domesticus, & *M. Theophilus Æne-
rius*, sub quibus physices sibi elementa, quæ publicè, quæ privatim, fa-
miliaria reddidit: mox theatra, concilia, gymnasata Medicorum au-
dentioribus ingressus est passibus, & Viros nullibi gentium literatarū
obscuros *Dn. Zachariam Brendeliam*, *Dn. Antonium Varum*, *Dn. Euse-
bius Schenckium* Dd. in Ienensi per biennium: *D. Casparum Hoffmannum*
in Norica ferme per annum, *Professores Italicos in Herbipolensi*, *D. Schilli-
gium in Lipsiensi*, ut taceam & nostros quibuscum ultra annum vixit, &
reliquos, audivit fructuosè, crebò consuluit, imitatur & imitaturus est
studiosissimè. Tres hi Medicinæ Candidati, ut ne lateat, quod
intimandum est, cum non nescirent in hac artium sola evenire, ut uni-
cuiq; Medicum se professi statim credatur, cum sit periculum in nullo, atte-
stante Plinio, imò sepulcreto, majus suum esse arbitrati sunt, nō lux aut
famæ aut fortunæ credere: sed doctrinæ & peritiæ supellectilem huj;
nostræ facultatis Antistitibus cōcrediderunt, qui cūm eam ad Lydium.

examinis lapidem revocassent, eosq; in apricum ad defensandā derisa
ac deploratæ arthritidis vim & medelam prōduxissent, victores rēdu-
xissent, imposterum citræ periculū invocari à malè habentibus posse,
imò lauream meritos Apollineam, collectis calculis censuerunt, qua-
trastino meridie, Sereniss. Electore Brandenburg. Domino nostro ac Ever-
geta Clementissimo sic ratum habente, Clariss. & Excellentiss. Vir Dn.
Gothofredus Weidnerus, Medicina utriusq; cum luce Doctor, cum laude
Professor, Decanus nunc & Atblotheta spectatissimus, illos ipsos, q; ad teq;, co-
ronatus est. In templo id fiet non Æsculapii, quo ægri medicinæ di-
scendæ causa olim somnū captabāt, sed Jesu Servatoris & sospitatoris
nostrī unici, quorsum *Vos omnium ordinū Academie nostræ cives, ma-*
jores, minores, medioxumos vigilatum & spectatum invitamus & vocamus.
Adeste ad horam cras XII. adeste corpore & mente, renuntiationem
honorū solemnem piis suspiriis provehite, cœlestem Jehovæ, qui &
morbos & medicos mittit, providentiā deprædicate, stimulis diligen-
tiæ suppungimini, juxtimq; Medico nomini gratiā referte, quæ ianta
illi debetur, quanta nauità, qui naufragū sustulit, cum ut hic, ita Medicus,
arbitro Seneca, vitam dare soleat. Ante omnia v. intuemini nobiscū re-
gni Germanici ulcera, ecclesie vulnera orthodoxæ, cernite ut gangrena
profanitatis, ut bilis iracundia & cōtentio, ut ambitionis vertigo,
ut lethargus securitatis, ut phrenesis immanitatis, ut bulimia metalli-
ca, ut hydrops persuasionis, ut chiragra tenacitatis, ut libidinum pru-
ritus, ut stupor & sphacelismus impoenientiaz, ut pestilentia persecu-
tionis, ut marasmus apostasiæ passim grassetur, & quod nunquam opi-
nione aut metu præconceptum, ut venenū non Circaum, sed Babylo-
nicum in omnes Teutonici corporis venas diffusum, ut erysipelas Ibe-
ricum inflamarit omnia: cernite ut lethaliter omnia decumbant, ut
cadant, ut extinguantur: & cum nemo sub sole sit, qui curet aut sanet, O-
piferum, cuius solamanus abbreviatæ non est intaminato precum nido-
re amicata, hic ut veniat, videat, sanet: Mederis sanè Domine, ubi a-
spernari, ligas, ubi secare, vitæ donas, ubi occidere videris, Tu in mun-
do hoc versatili & mutabili ita dispensas secula, ea ut facias, quæ Universi-
tatis bujus decorum postulat, quod ipse solus absolvitur, ita ut verissimè aper-
tissimeq; intelligis! Hoc hōc Domino hodie tribuite cum Origene, atq;
dævolutionem prolixiorē ad oratorium, declaratum venire, feliciter
que Valete.

T. M.

Ja 666

ULB Halle
002 177 021

3



sb-200

Von MC





B.I.G.

Farkarte #13

Black
White
3/Color
Red
Magenta
Yellow
Green
Cyan
Blue



40
44

UTOR
RANCOFUR-
Æ
ISCUS
IUS,
professor Publicus
q; SENIOR
gyrin.,
ntissimus Vir
DREDVS
ERUS
professor Publicus
us flagitante
ute & experientia
os,
usium
IRTH } Silesios
EGENVALL
um.
alaurea ornatus est
etobr.
ristianæ
XIII.
publicæ literariæ
icit.
IANNIANIS: